



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De effectu p[o]enitentiaë. Quæstio 86.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

præcedunt ipsam virtutes theologicæ. Sed quantum ad aliquid est prima inter cæteras virtutes, ordine temporis, quantum ad eius actum, qui primus occurrit in iustificatione impij; sed ordine naturæ videntur esse aliæ virtutes priores, sicut quod est per se, est prius eo quod est per accidens. Nam aliæ virtutes, per se videntur esse necessariæ ad bonū hominis: penitentiā autem supposito quodam, scilicet peccato præexistenti; sicut etiam dictum est \* circa ordinem sacramenti penitentiæ ad alia sacramenta prædicta.

q. 66. a 4

Ad primum ergo dicendum, quod glossa illa loquitur quantum ad hoc, quod actus penitentiæ primus est tempore inter actus aliarū virtutum moralium.

Ad secundum dicendum, quod in motibus successivis recedere à termino, est prius tempore, quam peruenire ad terminum; & prius natura, quantum est ex parte subiecti, siue secundum ordinem causæ materialis. Sed secundum ordinem causæ agentis & finalis, prius est peruenire ad terminum: hoc enim est quod primo agens intendit. Et hic ordo præcipuè attenditur in actibus animæ, ut dicitur in 2. Physic.

Ad tertium dicendum, quod penitentiā aperit aditum virtutibus, expellendo peccatum per virtutem fidei & charitatis, quæ sunt naturaliter priores: ita tamen aperit eis aditum, quod ipsæ simul intrant cum ipsa. Nam in iustificatione impij simul cum motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum, est remissio culpæ & infusio gratiæ, cum qua simul infunduntur omnes virtutes: ut in secunda parte habitum est \*.

1.2. q. 113

a. 7. et 8.

et q. 65.

a. 3. et 2.

QVÆST. LXXXVI.

*De effectu penitentiæ quo ad mortaliū peccatorum remissionem, in sex articulos diuisa.*

**D**einde considerandum est de effectu penitentiæ. Et primo, quantum ad remissionem peccatorum mortalium: secundo, quantum ad remissionem peccatorum venialium; tertio, quantum ad redi-

reditum peccatorum dimissorum : quarto , quantum ad restitutionem virtutum .

- ¶ Circa primum quaruntur sex .  
 ¶ Primo , vtrum omnia peccata mortalia per penitentiam auferantur ?  
 ¶ Secundo , vtrum possint sine penitentia tolli ?  
 ¶ Tercio , vtrum vnum possit remitti sine alio ?  
 ¶ Quarto , vtrum penitentia auferat culpam remanente reatu ?  
 ¶ Quinto , vtrum remaneant reliquæ peccatorum ?  
 ¶ Sexto , vtrum auferre peccatum , sit effectus penitentia in quantum est virtus , an in quantum est sacramentum ?

## ARTIC. I.

*Vtrum per penitentiam omnia peccata remoueantur ?*

526  
*inf q. 87.*  
*a 1. q. 4.*  
*d. 14. q. 2.*  
*a. 1. q. 1.*  
*q. d. 16.*  
*q. 1. a. 2.*  
*q. 3 et 3.*  
*co c. 156.*  
*op 3.*  
*c. 146.*  
*\* gl inter*  
*lin. ibid.*  
*lib 1. in*  
*vl. fol. li.*  
*to. 4.*

**A**D primum sic proceditur . Videtur , quòd per penitentiam non omnia peccata remoueantur . Dicit enim Apost. Hebr. 12. quòd Esau non inuenit penitentia locum , quamquam cum lachrymis inquisisset eam . glos. \* id est , non inuenit locum venia & benedictionis per penitentia . Et 2. Machab. 9. dicitur de Antiocho , Orabat scelestus Deum , à quo non erat misericordiam consecuturus . Non ergo videtur , quòd per penitentiam omnia peccata tollantur .

¶ 2 Preterea , August. dicit in lib. \* de sermone Domini in monte , quòd tanta labes est illius peccati , scilicet cum post agnitionem Dei per gratiam Christi , oppugnat aliquis fraternitatem , & aduersus ipsam gratiam inuidia facibus agitur , vt deprecandi humilitatem subire non possit , etiam si peccatum suum mala conscientia agnoscere & annuntiare cogatur . Non ergo omne peccatum potest per penitentiam tolli .

¶ 3 Preterea , Dominus dicit Matth. 12. Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum , non remittetur ei , neque in hoc seculo , neque in futuro . Nò ergo omne peccatum remitti potest per penitentiam .

SED

SED contra est, quod dicitur Ezech. 18. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor amplius.

RESPONDEO dicendum, quod hoc, quod aliquod peccatum per penitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter. Vno modo, quia aliquis de peccato penitere non posset: alio modo, quia penitentia non posset delere peccatum. Primo quidem modo non possunt per penitentiam deleri peccata demonum, & etiam hominum damnatorum: quia affectus eorum sunt confirmati in malo: ita quod non potest eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis poena, quam patiuntur: ratione cuius aliquam penitentiam, sed infructuosam habent: secundum illud Sapient. 5. Penitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Vnde talis penitentia non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum & ad malum. Vnde dicere, quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis penitere non possit, erroneum est. Primo quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moueri potest cor cuiuscumque peccatoris ad penitendum, secundum illud Prouerb. 21. Cor regis in manu Dei, & quocumque voluerit, vertet illud. Quod autem secundo modo non possit per veram penitentiam aliquod peccatum remitti, est etiam erroneum. Primo quidem quia repugnat diuinæ misericordiæ, de qua dicitur Ioel. 2. quod benignus & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. Secundo, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam penitentia operatur, sicut & cetera sacramenta: cum scriptum sit 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non solum nostris,

sed etiam totius mundi. Vnde simpliciter dicendum est, quod omne peccatum in hac vita per penitentiam veram deleri potest.

Ad primum ergo dicendum, quod Esau non verè penituit. Quod patet ex hoc, quod dixit, Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Similiter etiam nec Antiochus verè penituit: dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum Augustini sic intelligendum est: Tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit, scilicet de facili: secundum quod dicitur ille non posse sanari, qui non potest de facili sanari. Potest tamen hoc fieri per diuinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum in profundum maris conuertit, ut dicitur in Psal. 67.

*in ser. 21  
à me. ad  
fr. 10. 10.*

*2. 2. q. 14  
a 1. 2. 3.  
¶ 4.*

*§ 27  
Inf. a. 3.  
c. et q. 87  
a. 1. cor.  
¶ 4. d.  
¶ 4. q. 2.  
ar. 5. ¶  
d. 16. q. 1.  
a. 2. q. 1.*

Ad tertium dicendum, quod illud verbum, vel blasphemia contra Spiritum sanctum est finalis impenitentia, ut August. \* dicit in lib. de verbis Domini. Quæ penitus irremissibilis est: quia post finem huius vitæ non est remissio peccatorum. Vel si intelligatur per blasphemiam Spiritus sancti, peccatum quod fit ex cerra malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus sancti, dicitur non remitti, scilicet de facili: vel quia tale peccatum non habet in se causam excusationis: vel quia pro tali peccato punitur aliquis & in hoc seculo & in futuro, ut in 2. par. expositum est \*.

## ARTIC. II.

*Virum sine penitentia peccatum remitti possit?*

**A**D secundum sic proceditur. Viderur, quod sine penitentia peccatum remitti possit. Non enim est minor virtus Dei circa adultos, quam circa pueros. Sed pueris peccata dimittit sine penitentia. Ergo etiam & adultis.

¶ 2. Præterea, Deus virtutem suam sacramentis non alligauit. Sed penitentia est quoddam sacra-

men-

mentum. Ergo virtute diuina possunt peccata sine penitentia dimitti.

¶ 3 Præterea, Maior est misericordia Dei, quàm misericordia hominis. Sed homo interdum remittit offensam suam homini etiam non penitenti. Unde & ipse Dominus mandat Matt. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Ergo multo magis Deus dimittit offensam suam hominibus non penitentibus.

SED contra est, quod Dominus dicit Hierem. 18. Si penitentiam egerit gens illa à malo quod fecit, agam & ego penitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Et sic è contrario videtur, quòd si homo penitentiam non agat, quòd Deus ei non remittat offensam.

RESPONDEO dicendum, quòd impossibile est peccatum actuale mortale sine penitentia remitti, loquendo de penitentia, quæ est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensam, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directè opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus, quòd repellit eum à gratia sua. Sicut autem habitum est in secunda parte \*, hoc interest inter gratiam Dei, & gratiam hominis, quòd gratia hominis non causat, sed præsupponit bonitatem veram, vel apparentem in homine grato: sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quòd bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati. Unde potest contingere quòd homo remittat offensam, qua offensus est, alicui absque aliqua immutatione voluntatis eius: non autem contingere potest, quòd Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quòd voluntas hominis est auersa à Deo per conuersionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem diuinæ offensæ, quòd voluntas hominis sic immu-

KK 2 tetur,

1. 2. 9.  
110. 4. 10

retur, vt conuertatur ad Deum cum detestatione & conuersionis prædictæ, & proposito emendæ: quod pertinet ad rationem penitentiæ, secundum quod est virtus. Et idè impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine penitentia, secundum quod est virtus. Sacramentum autem penitentiæ (sicut supra dictum est \*) perficitur per officium sacerdotis ligantis & soluentis: sine quo potest Deus peccatum remittere, sicut remisit Christus mulieri adulteræ, vt legitur Ioan. 8. & peccatrici, vt legitur Luca 7. Quibus tamen non remisit peccata sine virtute & penitentiæ: nam sicut Gregorius dicit \* in Homil. Per gratiam traxit intus, scilicet ad penitentiam, & quam per misericordiam suscepit foris.

q. 84. a. 3

ho. 33. in  
euan. nõ  
longè à  
princ.1. 2. q. 82  
art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod in pueris non est nisi peccatum originale, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed in quadam habituali deordinatione naturæ, vt in secunda parte habitum est \*. Et idè remittitur eis peccatum cum habituali immutatione per infusionem gratiæ, & virtutum: non autem cum actuali. Sed adultor, in quo sunt actualia peccata, quæ consistunt in deordinatione actuali voluntatis, non remittuntur peccata etiam in baptismo sine actuali immutatione voluntatis: quod fit per penitentiam.

528

1. 2. q. 73

a 1. et 3.

d. 36. a. 5

q. 4. d. 15

q. 1. a. 3.

q. 1. c. 6.

d. 16. q. 2.

ar. 2. q. 2.

c. et d. 18

q. 2. a. 5.

q. 3. ad 1.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de penitentia, secundum quod est sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod misericordia Dei est maioris virtutis, quàm misericordia hominis, in hoc, quod immutat voluntatem hominis ad penitendum: quod misericordia hominis facere non potest.

## ARTIC. III.

*Vtrum possit per penitentiam vnum peccatum sine alio remitti?*

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod possit per penitentiam vnum peccatum sine alio remitti. Dicitur enim Amos 4. Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars

vna compluta est, & pars super quam non pluit, aruit. Quod exponens Gregor. \* super Ezech. dicit, Cum ille, qui proximum odit, ab alijs vitijs se corrigit, vna eademq; ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet: quia sunt qui cum quædam vitia refe- cant, in alijs grauiter perdurant. Ergo potest vnum peccatum per penitentiam dimitti sine alio.

\* ho. 10. in Exec. cir. med. idem in sensu habet ho. 34 in euang. post med. in ps. 118. in princ. 10. 4. refer- tur de cõ. ser. d. 3. c. prima cõ. solatio. x. 2. q. 73 ar. 1.

¶ 2 Præterea, Ambr. dicit \* super Beati immacu- lati in via, Prima cõsolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus: secũda per punitionẽ, vbi et si fides de- sit, pena satisficit, & releuat. Potest ergo aliquis releuari ab aliquo peccato, manẽre peccato infidelitatis.

¶ 3 Præterea, Eorũ que nõ necesse est esse simul, vnum potest auferri sine alio. Sed peccata (vt in se- cunda parte habitum est \*) non sunt connexa, & ita vnũ eorum potest esse sine alio. Ergo etiam vnum eorum potest remitti sine alio per penitentiam.

¶ 4 Præterea, Peccata sunt debita, quæ nobis rela- xari petimus, cũ dicimus in oratione Dominica, Di- mitte nobis debita nostra, &c. Sed homo quandoque dimittit vnum debitum sine alio. Ergo etiam Deus per penitentiam dimittit vnum peccatum sine alio.

¶ 5 Præterea, Per dilectionẽ Dei relaxantur ho- minibus peccata, secundum illud Hier. 31. In chari- tate perpetua dilexi te: idẽ attraxi te miserans. Sed nihil prohibet quin Deus diligat hominem, quã- tum ad vnum, & sit ei offensus quantum ad aliud: si- cut peccatorem diligit quantum ad naturam, odit autem quantum ad culpam. Ergo videtur possibile quod Deus per penitentiam remittat vnum pecca- tum sine alio.

S E D contra est, quod August. \* dicit in lib. de pœnit. Sunt plures, quos penitet peccasse, sed non omnino, reseruantes sibi quædam, in quibus delecten- tur: non animaduertentes Dominum simul mutum & surdum a dæmonio liberasse, per hoc docens, nos nunquam nisi de omnibus sanari.

in lib. de vera et fal. pœni. c. 6. parã ante me. 10. 4.

RESPONDEO dicendum, quod impossibile est  
K k 3 per



per penitentiã vnum peccatum sine alio remitti. Primo quidem, quia peccatũ remittitur, in quãcum tollitur Dei offensa per gratiam. Vnde in 2. parte habitum est \*, quod nullum peccatum potest remitti sine gratia. Omne autẽ peccatum mortale contrariatur gratiã, & excludit eam. Vnde impossibile est, quod vnũ peccatum sine alio remittatur. Secundo, quia (sicut ostensum est \*) peccatum mortale non potest sine vera penitentiã remitti: ad quam pertinet deserre peccatum, in quantum est contra Deũ. Quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Vbi autem est eadem ratio, & idem effectus. Vnde non potest esse verè penitens, qui de vno peccato penitet & non de alio. Si enim displiceret ei illud peccatũ, quia est contra Deũ super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem verã penitentiã) sequeretur, quod de omnibus peccatis peniteret. Vnde sequitur, quod impossibile sit vnum peccatum per penitentiã remitti sine alio. Tertio, quia hoc esset contra perfectionem misericordiã Dei, cuius perfectã sunt opera, vt dicitur Deut. 32. vnde cuius miseretur, totaliter miseretur. Et hoc est quod Aug. \* dicit in lib. de penit. Quãdam impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Gregor. non est intelligendum quantum ad remissionem culpã, sed quantum ad cessationem ab actu: quia interdum ille qui plura peccata consuevit committere, deserit vnum, non tamen aliud. Quod quidẽ fit auxilio diuino, quod tamen non pertingit vsque ad remissionem culpã.

Ad secundum dicendum, quod in verbo illo Ambros. Fides non potest accipi, qua creditur in Christum: quia vt August. \* dicit super illud Ioan. 15. Si non venissem & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent, scilicet infidelitatis. Hoc enim est peccatum, quo tenentur cuncta peccata. Sed accipitur fides pro conscientia: quia interdum per pẽnas, quas quis

q. 109. a.  
7. & q.  
113. a. 2.

ar. p. sc.

in lib. de  
vera &  
fal. p. n.  
c. 6. non  
lõge à fi.  
10. 4.

tr. 89. in  
Io. inter  
princ. &  
me. 10. 9.

quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati, cuius conscientiam non habet.

Ad tertium dicendum, quod peccata quamvis non sint connexa, quantum ad conversionem ad bonum commutabile: sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia. Et ex hac parte, habent rationem offensæ, quam oportet per penitentiam tolli.

Ad quartum dicendum, quod debitum exterioris rei (puta pecuniæ) non contrariatur amicitia, ex qua debitum remittitur: & ideo potest vnum dimitti sine alio. Sed debitum culpæ contrariatur amicitia: & ideo vna culpa vel offensæ, non remittitur sine altera. Ridiculum enim videtur, quod etiam ab homine, aliquis veniam peteret de vna offensæ, & non de alia.

Ad quintum dicendum, quod dilectio, qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriæ, a quo impeditur homo per quodlibet peccatum mortale. Sed dilectio gratiæ per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam: secundum illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Unde non est similis ratio.

ARTIC. IV.

*Utrum remissa culpa per penitentiam, remaneat reatus pœnæ?*

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod remissa culpa per penitentiam, non remaneat reatus pœnæ. Remota enim causa, remouetur effectus. Sed culpa est causa reatus pœnæ: ideo enim est aliquis dignus pœnæ, quia culpam commisit. Ergo remissa culpa, non potest remanere reatus pœnæ.

¶ 2. Præterea, sicut Apostolus dicit Roman. 5. Donum Christi est efficacius quam peccatum. Sed peccando homo simul incurrit culpam & pœnæ reatum. Ergo multo magis per donum gratiæ, simul remittitur culpa, & tollitur pœnæ reatus.

kk 4 ¶ 3 Præ-

529  
 sup. q. 67  
 ar. 3. ad  
 3. q. 9.  
 69. a 10.  
 ad 3. q.  
 4. d. 14. q.  
 2. a 1. q.  
 Ro. 11. le.  
 4. co. 4. et  
 Hebr. 6.  
 co. 4.

¶ 3 Præterea, Remissio peccatorum fit in penitentia per virtutem passionis, secundum illud Rom. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem præcedentium delictorum. Sed passio Christi est sufficienter satisfactoria pro omnibus peccatis, ut supra habitum est \*.

7. 68. & 69. & 70. Non ergo post remissionem culpæ remanet aliquis reatus penæ.

SED contra est, quod 2. Reg. 12. dicitur, quod cū David penitens dixisset ad Nathan, Peccaui Domino, dixit Nathan ad illum, Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris: verumtamen filius qui natus est tibi, morte morietur. Quod fuit in penam præcedentis peccati, ut ibidem dicitur. Ergo remissa culpa, remanet reatus alicuius penæ.

RESPONDEO dicendum, quod (sicut in secunda parte habitum est \*) in peccato mortali sunt duo: scilicet auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo auersionis ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus penæ æternæ: ut qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Ex parte etiam conuersionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius penæ: quia inordinatio culpæ non reducit ad ordinem iustitiæ nisi per penam. Iustum est enim, ut qui voluntati suæ plus indulget quàm debuit, contra voluntatem suam aliquid patiat: sic enim erit æqualitas. Vnde Apocalyp. 18. dicitur, Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Quia tamen conuersio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum, quod debeat ei pena æterna. Vnde si sit inordinata conuersio ad bonum commutabile sine auersione à Deo (sicut est in peccatis venialibus) non debetur peccato pena æterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiã remittitur culpa, tollitur auersio animæ à Deo, in quantum

tum per gratiam anima Deo cōiungitur: vnde & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ, potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis.

Ad primum ergo dicendum, quod culpa mortalis utrumque habet, & auersionem à Deo, & conuersionem ad bonum creatum. Sed (sicut in secunda parte habitum est \*) auersio à Deo, est ibi sicut formale: conuersio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscumque rei, tollitur species, sicut remoto rationali tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur auersio mentis à Deo simul cum reatu pœnæ æternæ. Remanet tamen illud quod est materiale, scilicet inordinata conuersio ad bonum creatum: pro qua debetur reatus pœnæ temporalis.

1.2. q. 71  
ar. 6.

Ad secundum dicendum, quod (sicut in secunda parte habitum est \*) ad gratiam pertinet operari in homine, iustificando ipsum à peccato; & cooperari homini ad recte operandum. Remissio igitur culpæ & reatus pœnæ æternæ, pertinet ad gratiam operantem: sed remissio reatus pœnæ temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum scilicet homo cū auxilio diuinæ gratiæ patienter pœnas tolerando, absoluitur etiam à reatu pœnæ temporalis. Sicut igitur prius est effectus gratiæ operantis, quàm gratiæ cooperantis: ita etiam prius est remissio culpæ & pœnæ æternæ, quàm plena absolutio à pœna temporalis: utrumque enim est à gratia, sed primum à gratia sola, secundum ex gratia & libero arbitrio.

1.2. q. 109  
ar. 7. & 9.  
111. ar. 2.

Ad tertium dicendum, quod passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum pœnæ, non solum æternæ, sed etiam temporalis: & secundum modum, quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem à reatu pœnæ. In baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi (utpote per aquam & spiritum Christo commortuus peccato, & in eo regeneratus

ad

ad nouam vitam) : & idem in baptismo homo consequitur remissionem reatus totius pœnæ. In penitentia verò consequitur virtutem passionis Christi, secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia penitentia, sicut aqua baptismi, ut supra dictum est. Et idem non statim per primum actum penitentia, quo remittitur culpa, soluitur reatus totius pœnæ: sed completis omnibus penitentia actibus.

## ARTIC. V.

*Utrum remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati?*

530

sup. ar. 4.

ad 3. et 4.

d. 14. q. 2.

ar. 1. q. 3.

1. Cor.

11. lec. 7.

c. 1. fin.

\* c. 9. post

me. to. 4.

† c. 4. p. 4.

inter pr.

et med.

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati. Dicit enim Aug.\* in lib. de pœn. Numquam Dominus aliquem sanauit, quem omnino non liberauit: totum enim hominem sanauit in sabbato: quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione. Sed reliquiae peccati pertinent ad infirmitatem peccati. Ergo non videtur possibile, quod remissa culpa, remaneant reliquiae peccati.

¶ 2 Præterea, Secundum Dionysium quarto cap. de diuinis nominibus, bonum est efficacius, quam malum: quia malum non agit nisi virtute boni. Sed homo peccando, simul totam infectionem peccati incurrit. Ergo multo magis penitendo liberatur etiam ab omnibus peccati reliquijs.

¶ 3 Præterea, Opus Dei efficacius est quam opus hominis. Sed per exercitium humanorum operum ad bonum, tolluntur reliquiae peccati contrarij. Ergo multo magis tolluntur per remissionem culpæ, quæ est opus Dei.

SED contra est, quod Mar. 8. legitur, quod cæcus illuminatus a Domino, primo restitutus est ad imperfectum visum (vnde ait, Video homines velut arbores ambulantes), deinde restitutus est perfecte, ita ut videret clare omnia. Illuminatio autem cæci, significat liberationem peccatoris\*. Post primam ergo remissionem culpæ, qua peccator restituitur ad

Al. post penitentia: ergo post, &c.

visum spiritualem, adhuc remanent in eo aliqua reliquia peccati prateriti.

RESPONDEO dicendum, quod peccatum mortale ex parte conuersionis inordinata ad bonum commutabile, quamdam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est *f*, culpa peccati mortalis remittitur, in quantum tollitur per gratiam auersio mentis a Deo. Sublato autem eo, quod est ex parte auersionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conuersionis inordinata, cum hanc contingat esse sine illa, sicut prius dictum est \*. Et ideo nihil prohibet quin remissa culpa, remaneant dispositiones ex precedentibus actibus causatae: quae dicuntur peccati reliquia. Remanent tamen debilitatae & diminuta\*: ita quod homini non dominantur. Et hoc magis per modum dispositionum, quam per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post baptismum.

*ar. p. p. p.*

*ar. p. p. p.*

\* *Alis,*  
ita quod homini non dominantur magis per modum dispositionum.

*q. 44. a. 3. ad 2.*

Ad primum ergo dicendum, quod Deus totum hominem perfecte curat. Sed quandoque subito: sicut focum Petri statim restituit perfecte sanitati, ita ut surgens ministraret illis, ut legitur Luca 4. Quandoque autem successiue: sicut \* dictum est de caeco illuminato, Mar. 8. Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione conuertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualement, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquijs: ut patet de Magdalena Luca 7. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successiue tollit peccati reliquias.

Ad secundum dicendum, quod peccatum etiam quandoque statim inducit debilem dispositionem, utpote per vnum actum causatam: quandoque autem fortiolem, causatam per multos actus.

Ad tertium dicendum, quod vno actu humano non tolluntur omnes reliquia peccati: quia ut dicitur

citur in predicamentis, prauus ad meliores exercitationes deductus, ad modicum aliquid proficiet, vt melior fit. Multiplicato autem exercitio, ad hoc peruenit vt fit bonus virtute acquisita. Hoc autem multo efficacius facit diuina gratia siue vno, siue pluribus actibus.

## ARTIC. VI.

*Vtrum remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ?*

531  
2. d. 14 q.  
2. a. 1. q. 1

**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quod remissio culpæ non sit effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus. Dicitur enim pœnitentiæ virtus, secundum quod est principium humani actus. Sed humanus actus non operatur ad remissionem culpæ, quæ est effectus gratiæ operantis. Ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus.

¶ 2 Præterea, Quædam aliæ virtutes sunt excellentiores pœnitentiæ. Sed remissio culpæ non dicitur effectus alicuius alterius virtutis. Ergo etiam non est effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus.

¶ 3 Præterea, Remissio culpæ non est nisi ex virtute passionis Christi, secundum illud Heb. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Sed pœnitentiæ, in quantum est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi, sicut & cætera sacramenta, vt ex supra dictis patet\*. Ergo remissio culpæ non est effectus pœnitentiæ in quantum est virtus, sed in quantum est sacramentum.

q. 62. a. 2.

SED contra, Illud est propriè causa alicuius, sine quo esse non potest: omnis enim effectus dependet à sua causa. Sed remissio culpæ potest esse à Deo sine pœnitentiæ sacramento, non autem sine pœnitentiæ secundum quod est virtus: vt supra dictum est †. Vnde & ante sacramenta nouæ legis pœnitentibus Deus peccata remittebat. Ergo remissio culpæ est propriè effectus pœnitentiæ secundum quod est virtus.

art. p. 1. q. 1.

RESPONDEO dicendum, quod pœnitentiæ est virtus, secundum quod est principium quorumdam

dam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento penitentiae. Omne autem sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae: ex utroque enim est unum sacramentum, ut supra habitum est. Unde sicut remissio culpae fit in baptismo, non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae, scilicet aquae; principaliter tamen virtute formae, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam & remissio culpae est effectus penitentiae, principaliter quidem ex virtute clauium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento (ut supra dictum est \*); secundario autem ex vi actuum penitentis, pertinentium ad virtutem penitentiae, tamen prout hi actus aequaliter ordinantur ad claves ecclesiae. Et sic patet, quod remissio culpae est effectus penitentiae, secundum quod est virtus: principaliter tamen, secundum quod est sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus gratiae operantis est iustificatio impij: ut in secunda parte dictum est \*. In qua, ut ibidem dictum est, non solum est gratiae infusio & remissio culpae, sed etiam motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatae; & motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus penitentiae. Hi tamen actus humani sunt ibi, ut effectus gratiae operantis, simul producti cum remissione culpae. Unde remissio culpae non fit sine actu penitentiae virtutis, licet sit effectus gratiae operantis.

Ad secundum dicendum, quod in iustificatione impij non solum est actus penitentiae, sed etiam actus fidei, ut dictum est \*. Et ideo remissio culpae non ponitur effectus solum penitentiae virtutis: sed principaliter fidei & charitatis.

Ad tertium dicendum, quod ad passionem Christi ordinatur actus penitentiae virtutis, & per fidem & per ordinem ad claves ecclesiae. Et ideo utroque modo causat remissionem culpae virtute passionis Christi.

Ad

q. 60. a. 6  
ad 2. q.  
ar. 7.

q. 84. a. 3

1. 2. q. 113  
in divi-  
sione q.

in solut.  
prae. q.  
1. 2. q. 113  
ar. 4.



Ad id autem quod in contrarium obijcitur, dicendum est, quod actus penitentiae virtutis habet quoddam sine eo non possit fieri remissio culpae, in quantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur, quae etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi, nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpae, quam penitentiae sacramentum. Sciendum tamen, quod etiam in veteri lege, & in lege naturae, erat aliquantulum sacramentum penitentiae: ut supra dictum est\*.

q. 84. a. 7  
ad 2.

## QVÆST. LXXXVII.

*De remissione venialium peccatorum, in quatuor articulos diuisa.*

**D**einde considerandum est de remissione venialium peccatorum.

¶ Et circa hoc quaeruntur quatuor.

¶ Primo, utrum sine penitentia peccatum veniale possit dimitti?

¶ Secundo, utrum possit dimitti sine gratiae infusione?

¶ Tertio, utrum peccata venialia remittantur per aspersionem aquae benedictae, & episcopalem benedictionem, &unctionem pectoris, & orationem Dominicam, & alia huiusmodi?

¶ Quarto, utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali?

## ARTIC. I.

*Utrum peccatum veniale possit remitti sine penitentia?*

**A**D primum sic proceditur. Videtur, quod veniale peccatum possit remitti sine penitentia. Pertinet enim, ut supra dictum est ¶, ad rationem verae penitentiae, quod non solum homo doleat de peccato praeterito, sed etiam proponat cauere de futuro. Sed sine tali proposito peccata venialia dimittuntur, cum certum sit, quod homo sine peccatis venialibus presentem vitam ducere non potest. Ergo peccata

332  
inf ar. 2.  
ad 2. et 3  
Co. a. 1. c.  
Co. 4. d. 16  
q. 2. ar. 2.  
q. 2. ad 1.  
Co. d. 21.  
q. 2. ar. 1.  
s. et mal.  
q. 7. a. 12.  
cor.  
† q. 84. a.  
10. ad 4.  
arg.

ve.